

dicatur determinari, quando voluntas determinationem illius seu motionem et impulsus sequitur. Gratia autem, inquit, est ex se determinatio quædam, inclinatio, propensio ad bonum, quam cum voluntas sequitur, non determinat gratiam ad bonum, sed potius ejus determinationem sequitur, et mandata Dei superioris exsequitur. Ita doctor Sorbonicus.

Resp. ad primum. Equidem verum est, absurdum esse ut superior dicatur subjici inferiori, quando inferior mandata superioris exsequitur, ibi sistendo et in ordine morali. At, si, ut inferior exsequatur mandata superioris, indigeat in ordine physico concursu superioris et superior illum ei offerat indifferentem et ab ipso determinabilem ad quodcumque voluerit, non erit absurdum, sed plane verum, dicere, in hoc casu superiorem, quantum ad usum sui concursus oblatis, subjici inferiori. Est autem hic noster casus.

Ad secundum, detegenda est æquivocatio latens in hac voce *gratia*. Est quædam gratia physice præmovens et determinans voluntatem ad actus indeliberatos. Hujusmodi gratiam non ægre admittunt adversarii, saltem aliqui, sed de ea hic non agitur; quæstio est enim de gratia nos movente ad consensum deliberatum voluntatis. Respective igitur ad illum consensum deliberatum, est, secundum omnes, gratia præveniens moralis, alliciens et movens objective voluntatem quoad specificationem in genere causæ finalis, non efficientis: non aliam prævenientem agnoscit Tournely cum Molinistis. Et hæc quidem, etiam in eorum sententia, non indiget determinari quoad speciem, sed quantum ad hoc potest dici determinatio et impulsus; indiget tamen determinari quoad exercitium, quia ea posita, voluntas est adhuc indifferentis et indeterminata ut eam sequatur vel non: unde ex hac parte jam habemus in hoc systemate gratiam determinabilem a voluntate. Sed, quod potissimum est, præter hanc gratiam moralem agnoscunt Molinistæ necessariam esse aliam qua Deus concurrat physice ad consensum meum deliberatum. Hunc autem concursus seu gratiam dicunt a Deo

offerri, non determinatum ad unum, alias, inquit, læderetur libertas, sed indifferentem et voluntatis determinationi permissum. Ergo de isto concursu seu gratia non potest dici quod sit determinatio et impulsus, sed vere dicitur quod sit versatilis, pendulus, indifferentis, determinabilis a voluntate et ejus pedisequus; et sic, sublata æquivocatione, manent præclusæ Tournely responsiones.)

3^o Homo, in statu naturæ lapsæ, est admodum infirmus circa bonum et totus pronus in malum, extus objectis et exemplis seductus, intus passionibus abreptus. « Cum avaritia nobis, inquit Cyprianus, apud Augustinum, lib. II *cont. Julian.*, c. 8, n. 23, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congressio est; cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua et molesta luctatio est, obsessa mens, hominis et undique diaboli infestationibus vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. » Igitur sic ex omni parte incitatur ad malum, ut, si gratia vi sua potentissima voluntatem non firmaret contra malum et non converteret ad bonum, sed ipsam sibi relinqueret, vix aut ne vix unus e mille non succumberet. Unde Augustinus, *de Corrept. et Grat.*, c. 12, n. 33, dicit: « Si in tanta infirmitate vitæ hujus... ipsis relinqueretur voluntas sua,... inter tot et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet, nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter et insuperabiliter ageretur, et ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. »

Objectiones.

(Quantum ad objectiones quæ solent peti ex quadruplici capite: 1^o ab authoritate, 2^o ex læsione libertatis, 3^o ex insufficientia auxilii quod dicitur sufficiens, 4^o ex affinitate cum Calvinismo; eas totidem §§ abunde solutas habes sæpe dicta dissert. VIII *de Decretis*, a. 2. Quapropter supervacaneum existimo illas hic denuo instaurare. Vide loco cit.

Illud tantum ad cumulum observandum est, sæpe objici ab Honorato Tournely, gratiam per se efficacem habere essentialem connexionem cum actu, et eum inde inferre, lædi libertatem. Sed est iterum æquivocatio in *essentialem*. Non enim gratia per se efficax habet essentialem connexionem cum actu, quasi illum necessario pariat, sicut, v. g., essentia parit proprietates; sed sic ut habeat ex se virtutem infallibiliter obtinendi consensum. Unde potest sic distingui: Habet connexionem essentialem, id est infallibilem, cum actu, *conc.*; id est, necessariam, *nego*; quia movet voluntatem, non quomodocumque, sed ut libere consentiat, et cum potentia dissentendi.)

ARTICULUS VII

Expenduntur varii modi explicandi efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficaciæ.

Qui admittunt gratiam per se efficacem, non uno modo ejus efficaciam et causalitatem explicant. Quinque modi communius circumferuntur. Quidam eam explicant per multitudinem auxiliorum: quidam per causalitatem moralem; alii per actus indeliberatos; alii per delectationem victricem; alii tandem per præmotionem physicam. Hos quinque modos sequentibus §§ expendemus, et verum stabilimus.

§ I

Expenduntur et rejiciuntur tres priores modi.

I. — Explicare efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficaciæ per multitudinem et coacervationem auxiliorum, non est explicare id quod quæritur, nec difficultatis nodum attingere; nemo enim negat Deum pluribus auxiliis, tam extrinsecis quam intrinsecis, hominem ad se attrahere. Sed quæstio est, primo, unde illud ex istis multis, cui voluntas consentit, sit efficax: an propria virtute? Quomodo ista efficaciam sit explicanda et in quo reponenda?

Quorum nihil dicit sententia. Si enim dicat, hoc auxilium esse propria virtute efficax, id omnes gratiæ per se efficaciæ assertores dicunt; sed quærent, quomodo et in quo reponenda est ista efficaciam et virtus: an in motionibus moralibus, an in actibus indeliberatis, an in delectatione victrici, an in præmotione physica? Et hoc non explicat iste modus. Si dicat, esse efficax ex consensu voluntatis, jam rejicit gratiam per se efficacem et redit ad sententiam Molinæ, teneturque admittere scientiam mediam, qua Deus exploret cui auxilio voluntas sit consensura; quam tamen scientiam mediam non admittunt patroni hujus modi.

II. — Illi reponunt efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficaciæ in auxiliis moralibus, non quidem fallibiliter moventibus ad sensum Molinæ vel Congruistarum, qui adhibent scientiam mediam, qua Deus exploret cui ex innata libertate simus consensuri; sed in auxiliis infallibiliter moventibus, seu quæ putant infallibiliter movere, et quibus tribuunt quidquid tribuimus auxiliis physice moventibus. Verum, cum auxilium morale non moveat nisi objective invitando, alliciendo, suadendo, etc., et in ratione causæ finalis tantum, quantumcumque ponatur, ipsa voluntas semper remanet in potentia et indeterminata ut illi consentiat, maxime voluntas infirma, dura et indocilis ad bonum, nisi per aliquid intrinsece in ea receptum mutetur et determinetur. Neque dicas mutari et determinari per ipsum consensum et operationem; tum quia debet mutari et determinari ut operetur et consentiat: ergo antecedenter ad consensum et operationem; tum quia operatio non mutat agens active, sed passum, quia operatio non exit ab aliquo nisi prout est in actu, et patitur prout est in potentia: ergo, in quantum operatur agens, non mutatur a sua operatione effective, sic enim pateretur in quantum operans: ergo, si mutatur, est antecedenter ad operationem. Et hac ratione etiam probatur efficaciam et causalitatem gratiæ per se efficaciæ non posse explicari per sympathiam, vel per decretum divinum immediate, absque aliquo intrinsece recepto in voluntate, ut quidam volunt.

III. — Tertius modus reponit efficaciam et causalitatem

gratiæ per se efficaci in motibus indeliberatis, pia scilicet affectione, quæ si sit fortior tentatione, vincet et erit efficax. Ita ex nostris Gonzalez. Verum, quamvis pia affectio indeliberata juvet et sit semen boni operis, attamen, quantumvis fortis supponatur, ut voluntas infallibiliter eam deliberate sequatur et ei consentiat, debet per ulteriorem gratiam seu motionem cooperantem determinari, aliter cassa manebit, non solum ex fortiori tentatione, sed vel ex instabilitate voluntatis humanæ, vel ex pluribus aliis causis, ut sæpe contingit et experientia novimus. Amplius confutabitur hæc sententia ex dicendis § sequenti.

§ II

Expenditur et rejicitur quartus modus, per delectationem victricem.

Non pauci reponunt efficaciam et causalitatem gratiæ in delectatione victricis, quam etiam vocant dilectionem et charitatem, inspirationem dilectionis et charitatis; his enim nominibus promiscue utuntur, et ita expresse docuisse S. Augustinum contendunt.

At non sunt unius labii nec unius sensus. Quidam pro delectatione indeliberata pugnant, alii pro deliberata. Ex primis quidam sustinent delectationem indeliberatam necessitantem, ut Jansenius, cujus error in tertia propositione ex quinque famosis est damnatus. Quidam defendunt delectationem indeliberatam non necessitantem: ita plerumque Patres Augustiniani, quorum sententia videtur coincidere cum tertia præcedentis §.

Ad intelligendas istas varias opiniones, observandum est, delectationem posse sumi dupliciter: 1° stricte, et est quies appetitus in bono possesso; si sit appetitus rationalis, est delectatio spiritualis; si appetitus sensitivi, est delectatio sensibilis. *Quies* non sumitur hic privative pro cessatione ab omni actu, sicut in rebus insensibilibus, quæ, dum suam perfectionem consequuntur, id non sentiunt, et ideo censentur quiescere per solam cessationem

motus. At vero entia cognoscitiva, dum perfectionem suam et bonum consequuntur, id percipiunt seu agnoscunt, et ex ista cognitione causatur quidam motus animæ in bono præsentis complacentis et quiescentis, et iste motus est delectatio. 2° Sumitur delectatio, latiori sensu, pro affectu seu inclinatione voluntatis in bonum ut conveniens et naturæ ac rationi consentaneum. Et utroque sensu sumpta potest esse deliberata vel indeliberata.

Item, gratiam per se efficacem consistere in delectatione, potest intelligi, vel in sensu formali, ut videlicet gratia efficax sit ipsa delectatio victrix, vel in sensu causali, ut gratia efficax sit hujus delectationis causa.

Hoc ultimo sensu intellexisse Augustinum, probant sequentia: Lib. I *de Nuptiis et Concup.*, c. 30, n. 33, ait: « Condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem, de magna nobis venit gratia Dei. » Lib. *de Spirit. et Litt.*, c. 3, n. 5: « Nos autem dicimus humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut, præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam qua ei præcipitur quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio dilectioque illius summi et incommutabilis boni quod est Deus. » Lib. I *ad Simplic.*, q. 2, n. 21: « Cum ergo nos ea delectant quibus proficiamus ad Deum, inspiratur hoc, et præbetur gratia Dei. » Ergo, juxta Augustinum, delectatio non est gratia, sed ejus effectus.

Id etiam ratio naturalis evincit. 1° Delectatio est actus vitalis potentiæ; gratia autem non est actus vitalis, aliter a potentia vitali efficeretur. 2° Delectatio spiritualis circa bonum supernaturale, quovis modo sumatur, est actus bonus. Ergo est a gratia. 3° Dum animus afficitur delectatione qua prius non afficiebatur, intrinsece mutatur; debet autem assignari causa efficiens hujus mutationis, quæ non potest esse alia quam gratia. His præmissis,

Dico 1°: Gratia non semper operatur in nobis delectationem stricte sumptam, neque ea sola ad bonum inclinamur et pertrahimur, sed variis aliis modis.

Probatur 1° ex Scriptura, quæ timorem ut conducentem ad salutem nobis commendat. Eccli., i, 27 : Timor Domini expellit peccatum. Ibid., 25 : Radix sapientiæ est timere Deum. Prov., iii, 7 : Time Deum, et recede a malo. Eccli., xv, 1 : Qui timet Deum, faciet bona. Jerem., xxxii, 40 : Timorem meum dabo in corde eorum, ut a me non recedant. Matth., x, 28 : Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timete eum qui potest et animam et corpus perdere in gehennam. Psal., cxviii, 120 : Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui. Ita alibi passim. Unde Trid., sess. vi, cap. 6, recenset justitiæ divinæ timorem inter dispositiones quæ ad justificationem requiruntur. Et can. 8 anathemate ferit eos qui dixerint, « gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse. » Denique sess. xiv, cap. 4, decretorie resolvit, attritionem ex gehennæ metu conceptam « esse donum Dei et Spiritus sancti impulsum, non quidem inhabitantis, sed moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. » Ubi habes aperte, timorem esse effectum gratiæ et ad salutem conducere.

Probatur 2° ex Augustino. Serm. 348¹ dicit : « Cum timetur pœna quam [Deus] minatur, discitur amari præmium quod pollicetur, ac sic [per timorem] pœnæ bona vita retinetur. Lib. de Correp. et Grat., c. 5, n. 7 : « Non vis tibi tua vitia demonstrari, non vis ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo medicum quæras : ... quasi aut nihil agat timor correpti hominis, vel pudor, vel dolor. » Ibid., n. 8 : « Isti sic, illi aliter, atque alii aliter, diversis et innumerabilibus modis vocantur, ut reformentur. » Et lib. I cont. duas epist. Pelag., c. 19, n. 37 : « Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. » Porro, si miris, si diversis et

1. Olim 214 de tempore.

innumerabilibus modis trahimur ad Deum : non ergo delectatione sola.

Probatur 3°. Religio Christiana docet nos sequi, non delectabilia, sed recta et honesta quantumvis dura et amara, seu, ut verbis Christi utar, non gaudium, sed crucem, Deumque amare, non quia delectat, sed quia dignus est. Ergo velle homines semper induci ad agendum motivo delectationis, nunquam ratione, officio, honestate ab omnibus delectationibus illecebris pura, Epicuri, non Christi religionem sapit.

Probatur 4° experientia, qua nobis constat justos sæpe a malo recedere et bonum facere, nulla demulcente delectatione, sed vel timore pœnæ, vel solo motivo officii et legis æternæ inducti, inter tædia, tristitias et dolores, tota repugnante natura.

Dico 2° : Delectationem latiori sensu sumptam pro affectu seu inclinatione voluntatis in bonum conveniens semper operatur gratia per se efficax ; quia proprius ejus effectus est inclinare et applicare voluntatem ad bonum, ideoque efficere ut semper proponatur voluntati quod est magis conveniens. Neque enim voluntas timet malum, nisi ex amore boni oppositi, et quia judicat sibi conveniens et bonum, ut istud malum fugiat, ita ut amor sit actus primogenitus voluntatis.

De delectatione igitur sic sumpta ut plurimum loquitur Augustinus, dum dicit, gratiam esse aut operari delectationem, quam etiam vocat dilectionem et charitatem, sumendo charitatem late pro quacumque voluntate boni. Idque videntur concedere Augustiniani delectationis victricis [defensores ; cum enim Laurentius Berti, lib. XIV, c. 8, sibi objecisset ex Scriptura et Trid., non solam delectationem, sed etiam timorem Domini esse principium actionum nostrarum, eo tandem devenit, ut vocet delectationem « bonæ voluntatis fervorem, » et « inspirationem bonæ voluntatis. »

Dico 3° : Delectatio quovis sensu sumpta, sive strictè sive late, sive deliberata sive indeliberata, non est id in quo consistit efficacia gratiæ per se efficacis ; quia id in

quo consistit efficacia gratiæ, est id quo obtinet infallibiliter et indefectibiliter suum effectum. Atqui delectatio Dei nondum clare visi in hac vita, quovis sensu sumpta, non est quo gratia obtinet infallibiliter et indefectibiliter suum effectum; siquidem doceant omnes theologi, cum D. Thoma, delectationem et dilectionem Dei nondum clare visi in hac vita non esse indefectibilem et inamissibilem, sed posse, etiam potentia consequente, vinci et destrui per timorem aut amorem boni creati.

Dices : Quomodo igitur intelligitur illud celebre effatum Augustini, in *Epist. ad Galat.* : « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est? » — « quod, inquit Jansenius, lib. IV *de Grat. Chr.*, c. 6, auribus mereatur scribi characteribus. »

Resp. certo non posse intelligi ad sensum Jansenii, quasi homini non sit liberum resistere majori delectationi : tum quia hunc sensum damnavit Ecclesia in ipso Jansenio ; tum quia ipse S. Augustinus agnoscit se non semper id egisse, quod ipsum magis delectabat : « Non faciebam, inquit lib. VIII *Conf.*, c. 8, n. 20, quod et incomparabili affectu amplius mihi placebat. » Et lib. LXXXIII *Quest.*, q. 70, dicit quod homo etiam cum dolore magnam venandi delectationem posset cohibere ; tum denique quia, juxta Augustinum, major et maxima fuit delectatio cœlestis in Adamo et angelis peccantibus, quam tamen non sunt secuti.

Itaque, 1^o dato Augustinum ibi loqui de delectatione indeliberata : respondetur, ipsum intelligere necessitatem moralem sumptam pro magna difficultate aliter operandi, quia homines solent facere id quod eos magis delectat. Neque tamen Augustinus id dicit universaliter et absolute, sed in hypothesi quod nullum occurrat aliud motivum. Nam, ut vidimus, docet timorem nos sæpe abstrahere ab eo quod magis delectat ; quod idem præstare possunt alia motiva officii, honestatis, utilitatis, etc. Sicque patet, etiam hoc sensu dato, efficaciam gratiæ non consistere in sola delectatione. Sed

2^o Et verius Augustinus intelligit hæc verba de delecta-

tione deliberata, sumpta pro affectu et inclinatione in bonum conveniens subsequente liberam voluntatis electionem ; perinde ac si dixisset : Necesse est operemur id quod magis deliberate amamus, quod judicamus practice magis conveniens, quod magis placet. Hæc autem necessitas, ut patet, non est absoluta, sed hypothetica ; non consequentis, sed consequentiæ ; non antecedens, sed consequens nostram libertatem. Hoc itaque sensu verissima est Augustini sententia, nos necessario facere quod nos magis delectat, hoc est, quod magis ex deliberatione amamus et præ alio libere eligimus ; sed integra manet præsens quæstio : unde gratia, quæ est causa hujus deliberate delectationis et amoris, habet quod efficaciter et infallibiliter illum efficiat, corque nostrum in eo ita firmet, ut nullum bonum ab eo nos abstrahat ? Nam, ut jam diximus, delectatio et dilectio cujuscumque boni, etiam Dei, in hac vita, est de se defectibilis et amissibilis. Nos dicimus, ut patebit modo, gratiam id habere ex motione divina, quæ efficit ut amor Dei nobis semper proponatur ut magis conveniens, et ad eum nos efficaciter et libere inclinatur.

Repones : S. Augustinus loquitur de delectatione gratiæ prævenientis, qua fit ut velimus. Ergo non intelligit de delectatione deliberata subsequente volitionem liberam. — Prob. ant. Lib. I *de Spir. et Litt.*, c. 35, n. 63 : « Quis nesciat, inquit, non esse in hominis potestate quid sciat, nec esse consequens ut quod appetendum cognitum fuerit appetatur, nisi tantum delectet, quantum diligendum est? » Et lib. I *de div. quest. ad Simplic.*, q. 2, n. 22 : « Voluntas ipsa, nisi aliquid occurrerit quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest. Hoc autem ut occurrat, non est in hominis potestate. » Ergo.

Resp. Dist. ant. Augustinus intelligit de delectatione præveniente et indeliberata aliquando, *conc.* ; semper, *nego.* In his ergo locis proxime objectis fatemur quod intelligat de delectatione indeliberata quam facit gratia, et quæ nihil aliud est quam effectus indeliberatus ad bonum ut conveniens, quo fit ut voluntas in actu posita,

possit se libere movere in actum ulteriorem deliberatum, mediante tamen ulteriori gratia ad id voluntatem movente. At falsum est Augustinum, ubi agitur de delectatione necessitante, intelligere delectationem indeliberatam. Patet ex dictis.

Insuper hæc instantia nihil iterum facit ad præsentem quæstionem. Ex hoc enim quod necesse sit voluntatem, ut velit et amet deliberate, præveniri delectatione seu affectu boni convenientis indeliberato, non sequitur quod in ea delectatione seu affectu indeliberato sita sit efficacia gratiæ, quod quærimus; cum et ipse affectus indeliberatus sit effectus gratiæ efficaciæ, et non moveat efficaciter et infallibiliter ad actum deliberatum, nisi mediante ulteriori motione seu gratia.

§ III

Expenditur quintus modus per præmotionem physicam.

Tandem Thomistæ communiter reponunt efficaciam gratiæ in præmotione seu prædeterminatione physica. Per præmotionem seu prædeterminationem physicam nihil aliud intelligunt, quam applicationem activam potentiæ ad actum, secundum modum ejus, scilicet ut agat libere, si sit potentia libera, necessario, si sit necessaria. Porro, supposito quod detur talis præmotio, nemo negare potest quin sit modus expeditissimus explicandi efficaciam gratiæ; cum enim repugnet esse applicationem activam sine passiva, sequitur esse infallibilem connexionem inter gratiam applicantem voluntatem ad actum et voluntatem agentem.

Verum negant adversarii dari talem præmotionem, ex multis capitibus, sed præsertim ex læsione libertatis humanæ. Hanc dari probant philosophi Thomistæ omni genere argumentorum, quæ apud ipsos videre licet. Ne tamen lectorem omnino jejunum in hac celebri controversia dimittam, quædam in ejus assertionem ex philosophia proferam. Unde

Asseritur breviter præmotio physica ex D. Thoma.

Sanctus Doctor, q. 3 de *Potentia*, a. 7, cujus titulus est: *Utrum Deus operetur in operatione naturæ?* dicit: « Quia nulla res per seipsam movet vel agit, nisi sit movens non motum, tertio modo dicitur una res esse causa actionis alterius, in quantum movet eam ad agendum; in quo non intelligitur collatio aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem: sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum, movendo ipsum. Et qui anatura inferior agens non agit nisi mota, ... sequitur de necessitate quod Deus sit causa actionis cujuslibet rei naturalis, ut movens et applicans virtutem ad agendum... Quarto modo unum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti; et hoc modo etiam oportet dicere quod Deus est causa omnis actionis naturalis. » Tandem sic concludit articulum: « Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi et in quantum conservat eam, et in quantum applicat actioni, et in quantum ejus virtute omnis alia virtus agit. Et cum conjunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, et quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediate operetur, non exclusa operatione voluntatis et naturæ. »

1^a 2^a, q. 109, a. 1, o: « Sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cælestis corporis, sicut in primum movens corporale, ita omnes motus tam corporales quam spirituales reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo, quantumcumque natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo. »

Hanc esse sententiam S. Thomæ agnoverunt insigniores Societatis theologi.

1^o Libellus de ratione studiorum in ipso Collegio Romano, anno 1586, compositus a sex Patribus Jesuitis a